



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

XCIV. Differentia 20. Iure civili solvitur matrimonium altero coniugum
contientiam vovente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

Iure civili solvitur matrimonium altero coniugum continentiam volente. § *Distrabuntur*. *Auth De nupt*. Iure Canonico autem eiusmodi votum, non consentiente compare non permittitur. c. 1. *¶ seqq.* 33.

2. §. c. ex publico. *De convers. coniug. c. Agathosa. 27. Q.*

2. *Bart. 95. lo. Bapt à S. Blasio 116.*

IR Religionis seu monachismi professio, (de talenim voto hic sermo est) iusta divortij causa Justiniano visa est. Sic olim Ethnici quidam matrimonia sua propter sacerdotium non poterant retinere. l. 60. ff. *De don. inter virum & uxorem*. Divortij causa donationes inter virum, & uxorem concessae sunt. Saepe enim evenit, ut propter sacerdotium, vel etiam sterilitatem. v. *Gloss. Gottifr.* Quod ut vitio careat, intelligi debet non de vinculi solutione, sed separatione thori ex mutuo consensu. Nam matrimonij consummati nexus firmior est, quam ut humano arbitrio tollatur. c. *Cum sis praeclusus. De convers. coniug.* Vbi *Alexand. III.* Nec vir uxore sua, nec uxor viro eius non assumente habitum religionis debet ad religionem transire. Verum si uxor ita senex est, & sterilis, ut sine suspitione possit esse in saeculo, dissimulare potes, ut ea in saeculo remanente & castitatem prominente ad religionem transeat vir eiusdem. *Insuperina. Agath. 27. Q. 2.* praed. et Justiniani constitutio reprobat. Ac proinde post matrimonium consummatum utrique coniugi eadem necessitas incumbit servandi fidem, &

fugiendi, quae illi repugnant, cuiusmodi est continentiae votum. *Benè s. Angyl. relatus in c. 1. 33. Q. 5.* si dicat vir, continere iam volo, nolo autem uxorem, non potest. Quod enim tu vis, non vult illa. Nunquid per continentiam tuam debet illam facere fornicariam? At ubi tantum tantummodo est, matrimonium, absque alterius consensu alteri Religionem intrare, inque ea castitatem vivere licet. c. 2. *De convers. coniug.* Post consensum legitimum de praesenti licitum est alteri altero etiam repugnante eligere monasterium, & alteri remanenti, si communitus continentiam servare noluerit, licitum est ad secunda vota transire: quia cum non fuissent una caro effecti, potest unus ad Deum transire, alter in saeculo remanere. *Idem in c. Ex publico. repetitur.* Nam quod Dominus in Evangelio dicit *Matth. 5.* non licere viro, nisi ob causam fornicationis uxorem suam dimittere, intelligendum est de his, quorum matrimonium carnali copula est consummatum, sine qua consummatum non potest v. *Hen riq. l. 12. c. 8. Regula l. 3. n. 40. Conink Disp. 34. Dub. 6.*